

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

CV. Objicies primo: Sacramenta antiqua non fuerunt causa gratiæ, sed solum signa: ergo non habebant pro fine nisi repræsentationem, non autem significationem, et tamen erant vera sacramenta; ergo non est de ratione sacramenti quod sit signum practicum.

CVI. Confirmatur: De ratione practici est quod sit operativum, sed non est de ratione sacramenti quod sit operativum sui significati (scilicet gratiæ) ergo nec quod sit signum practicum gratiæ. Antecedens certum est, quia practicum et operativum idem sunt; praxis enim est idem quod opus, et practicum idem quod operativum. Minor probatur, quia si est de ratione sacramenti quod sit operativum gratiæ, ergo de ratione sacramenti est, quod non solum constituatur in genere signi, sed etiam in genere causæ respectu gratiæ, seu rei sacræ; quod tamen negat S. Thomas articulo primo.

CVII. Respondetur negando consequentia. Non enim est contra rationem signi, quod habeat pro fine opus; sed contra rationem signi speculativi, sicut de intellectu practico diximus. Eodem enim modo regulanda sunt signa, et sic sacramenta antiqua fuerunt tantum signa, id est, non extra latitudinem signi, inde tamen non fit non fuisse practica, quia practicum signum non est extra latitudinem et genus signi.

CVIII. Ad confirmationem respondetur distinguendo majorem; de ratione practici est quod sit operativum, quasi efficienter et physice, nego; quasi significative moraliter, concedo. Sic autem sacramentum operativum est gratiæ, in quantum

est signum respiciens sanctificationem potius quam repræsentationem, sicut etiam promissio, aut exterior quilibet contractus, signum operativum est quasi moraliter, et secundum quod pro fine habet opus. Unde dicitur, quod ad rationem signi practici sufficit, quod sit operativum ex fine, non autem ex genere causæ efficientis. Dicitur enim practicum differre a speculativo fine, seu habere pro fine opus, non autem esse causam efficientem ejus. Et sic signa hæc habent pro fine opus, scilicet, sanctificationem nostram, ut nobis dandam vel de præsentem, vel de futuro, non tamen est de ratione eorum quod effective se habeant ad hoc signatum, sed id pertinebit ad excellentissima signa practica.

CIX. Secundo arguitur: Ad rationem sacramenti non sufficit habere sanctificationem pro fine, nisi etiam causet sanctificationem; ergo ratio signi practici non bene constituitur in illo ex ordine ad sanctitatem ut ad finem, sed oportet quod efficienter sit causativum; hoc autem non convenit omni sacramento; ergo neque convenit esse signum practicum. Antecedens probatur, nam multa sunt signa quæ habent pro fine sanctificationem, quia scilicet excitant ad devotionem et ad sanctitatem ut imagines sacræ, serpens æneus in lege veteri, quem quicumque aspicebat sanabatur, ubi pro fine habebat opus, et tamen non erat signum practicum. Concio etiam habet pro fine excitare ad sanctitatem, nec tamen est signum practicum: ergo oportet ut aliquid sit signum practicum, quod non solum habeat pro fine significatum, sed etiam in genere causæ efficientis, et sic ut sit sacramentum, oportet quod non solum pro fine habeat gratiam, sed etiam in genere causæ efficientis.

CX. Respondetur, quod practicum habere pro fine opus, potest dupliciter intelligi, uno modo quasi passive, quia scilicet ordinatur et dirigitur ad opus aliquod ut ad finem, ab aliquo dirigente et ordinante sicut medium, quod assumitur passive, et ordinatur ad aliquid obtinendum: alio modo quasi active, quia scilicet est ordinans et dirigens ad finem, et habet pro fine ad quem dirigit aliquod opus, non vero sistit in cognitione. Primo modo habere pro fine opus, non sufficit ad rationem signi practici, sed secundo, et hujus ratio est, quia practicum invenitur in signo derivatum a practico, quod est in intellectu: practicum autem intellectus non respicit finem ut directum ad illum, sed ut dirigens et ordinans, quia est principium operationis.

CXI. Imagines autem sacræ, et concio et similia signa adhibentur ab intellectu ut media ad consequendum finem aliquem, et ideo solum passive habent esse ordinata, non autem habent esse signa practica, quia prius supponuntur esse significativa et repræsentativa, et deinde ordinantur et adhibentur pro medio ad aliquod opus. Ut autem sit aliquid signum practicum, oportet quod ex ipsa ratione practica intellectus participet significationem, et ordinationem ad finem, et sic quasi active et directive habeat pro fine opus, non quasi passive, et quid assumptum pro medio ad finem.

CXII. Secundo respondetur, quod practicum habere pro fine opus, debet intelligi formaliter, id est, quod ex formalitate sua habeat respicere illud sub ratione operis; non tamen quod respiciat aliquod, quod materialiter est opus. Et sic respicere ipsum opus ut signandum, non facit rationem practici; sed respicere opus ut operandum, et non in

ordine ad signandum tantum, sed in ordine ad exercendum; et ita non sufficit respicere opus, ut sit practicum.

CXIII. Quod si instes: Ergo oportet quod practicum non solum respiciat opus, et sit operativum ejus quasi ex fine, sed etiam in genere principii efficientis et activi, ergo male dicimus quod non requiritur ad practicum genus efficiaciæ. Prima consequentia patet, quia non potest active dirigere aliquid in finem, nisi habeat activitatem et efficiaciam: ergo oportet quod in genere causæ efficientis practicum se habeat ad opus, et consequenter signum, quod participat practicum ab intellectu, habeat rationem causæ efficientis respectu signati; alias non potest practicum dicere rationem principii activi.

CXIV. Respondetur non esse de ratione practici, quod active comparetur ad rem, quæ est opus et finis ejus, sed ad directionem in finem; et ita debet esse active dirigens, non autem active efficiens rem ipsam. Unde non est de ratione practici quod sit operativum rei, sed quod pro fine habeat operationem circa rem, tamquam dirigens ad hujusmodi finem, et non ut directum ad illum. Datur ergo activitas in practico respectu directionis operis, non tamen respectu rei, quæ est opus. Quare practicum debet esse operativum ex fine, id est, tamquam dirigens ad finem; non tamen requiritur quod sit operativum in genere causæ efficientis: et signum practicum debet esse operativum ex fine, tamquam manifestans hujusmodi directionem, et exterius dirigens, sicut intellectus interius. Sicut autem non est necesse, quod intellectus interius sit efficiens, et habeat principium efficiendi, sic nec quod exterius signum sit efficiens: sed sufficit quod habeat pro fine opus

(seu operationem) non ut assumptum et ordinatum ad talem finem, quasi ab extrinseco, sed ut ordinans et dirigens ad talem finem, utpote practice illum respiciens.

CXV. Intellectus autem respicit finem ut movens ad illum, quia in ratione dirigentis est movens, sicut voluntas est movens quoad genus efficientis, et quoad exercitium. Quare practicus intellectus respicit finem per modum moventis, et non ut moti, seu medii assumpti ad finem; et similiter signum descendens ab intellectu practico respicit pro fine operationem non ut medium assumptum, sed ut dirigens significative et exterius, seu exterius movens et perficiens. Non autem ad hoc necesse est, quod effectio ipsius operis fiat per talem cognitionem, aut per signum derivatum a tali cognitione, quia in ratione practici sufficit, quod ex fine et directione ad eum sit operativum, non autem quod ut causa efficiens ipsum respiciat, sed id erit de perfectione practici, salvaturque vere ratio practici, si quod per aliam causam efficitur, ab ipso in finem dirigatur intentum.

CXVI. Tertio arguitur: Ratio signi practici in eo consistit, quod efficiat id quod significat; sed non omnia sacramenta efficiunt quod significant: ergo non omnia sunt signa practica. Major probatur, nam si practicum non efficit quod significat, invenitur in speculativis signis: ergo oportet, quod amplius aliquid habeat circa suum signatum, quam representare illud, hoc autem est efficere, seu practicare et operari illud; ergo oportet quod signum practicum efficiat quod significat, alias non apparet in quo consistat ratio practici in signo.

CXVII. Respondetur, quod signum practicum efficere id quod significat non debet intelligi de efficientia

physica et productiva in esse (hæc enim non requiritur ad rationem practici) sed de efficientia quasi morali, id est, directiva et ordinativa in finem. Et sic signum practicum efficere quod significat, non aliter habere potest, quam ipse intellectus practicus, et sicut intellectus practicus non debet efficere ut sit practicus producendo, sed quasi ordinando et dirigendo, et secundum moralem rationem, sic et signum a tali intellectu derivatum. Unde quod sit practicum hoc signum, consistit in eo quod significet, habendo pro fine non repræsentationem, sed sanctificationem, seu opus sanctitatis. Quod autem efficiat id quod significat, et quod habet pro fine, non est de essentia practici ut practicum est, licet ei convenire possit.

CXVIII. Si autem dicas: Causa moralis vere est efficiens; intellectus autem practicus respicit opus pro fine tamquam causa moralis, quia facit moraliter id quod significat; ergo in genere causæ efficientis constituitur per rationem practici saltem moraliter. Et sic sicut est de essentia sacramenti esse signum practicum, erit etiam de essentia sacramenti esse causam, et poni in genere causæ efficientis, saltem moralis, si quidem in ratione signi includit rationem causæ efficientis, et sic in illo genere ponitur.

CXIX. Respondetur absolute loquendo non esse de ratione practici quod sit causa moralis sui objecti. Dicitur enim a D. Thoma 1 parte, quæst. xiv, art. xvi Deum habere simpliciter cognitionem practicum malorum, nec tamen dicitur Deus causa moralis mali: sufficit ergo quod intellectus practicus ordinet suum objectum ad aliquod opus, et non sistat in cognitione rei, habens ipsam pro fine: non tamen requiritur quod ordinatio ista se habeat ut

causa per modum principii efficientis, sed per modum ordinantis ad finem, qui sit opus, sive ex hoc dicatur ipsum causare, sive non.

CXX. Et nota, quod aliud est intellectum practicum esse causam influentem realiter in potentias executivas et voluntatem, aliud esse causam influentem in objectum suum externum. Primum verum est; secundum autem est falsum, quia sufficit ordinare, aut permittere, aut impedire aliud. Quæ omnia non ponunt aliquem realem influxum in re extra, sed solum denominationem, non tantum cogniti, sed ordinati, et ideo practici actus denominatio est. Quare ex eo quod sit signum practicum, non ponitur in genere causæ, sed in genere signi; tum, quia ratio practica id non exigit, sed ad illam sufficit ordinatio et directio, sive sit causa, sive non; tum, quia licet ordinatio illa dici possit, quod aliquo modo sit causa, quod hoc sit illius, verbi gratia, quod sanctificatio tribuatur subjecto, et pertineat ad illud, tamen totum hoc non excedit rationem signi, quando exterius perficitur, sicut S. Thomas dicit a simili quæst. lxxii, art. 1, quod licet denarius plumbeus sit pactio quod dentur centum libræ, aut traditio annuli sit signum investituræ episcopalis, quæ sunt signa practica, non tamen hæc dicuntur excedere genus signi, quia ut S. Thomas notat in iv, dist. 1, quæst. 1, art. iv, pactio ista exterior est causa per accidens, et conditio sine qua non, et ideo non influit in effectum, nec opus est quod transcendat rationem signi.

CXXI. Constat autem sacramenta veteris legis solum se habuisse ut pacta gratiæ, juxta quod de circumcisione dicitur Gen. xvii: *Erit pactum inter me et semen tuum*; pactum autem, et sacramenta quæ sunt signa sicut pactum, non excedunt ge-

nus signi, nec dicuntur esse causa talium rerum, quia licet hæc ordinentur ad opus, seu exercitium et traditionem illam, non vero ad solam cognitionem, tamen quia supponunt efficientiam fieri per aliud, et ipsa solum exterius ordinant, præcipuumque munus eorum est explicare intensionem ordinantem ad finem operis, seu exercitium, quod est proprium munus signi, non vero operari per positivum influxum, et ponere in esse ipsum finem et opus, ideo non dicuntur esse in genere causæ, licet illam ordinationem activam moralem habeant, non tam facere, quam explicare; sed non præcise explicare et manifestare, sed ad finem operis dirigere.

CXXII. Quarto objicitur; Nam sacramenta antiquæ legis non solum significabant gratiam futuram, quam promittebant, sed etiam præsentem, si quando ex opere operantis dabatur, sed illam præsentem non respiciebant ut signa practica, quia non erant signa practica gratiæ præsentis; ergo non omnia sacramenta erant signa practica respectu gratiæ significatæ.

CXXIII. Confirmatur, nam sacramenta sæpe frustantur suo effectum, ergo non sunt signa practica. Patet consequentia, quia signum practicum efficit suum significatum; ergo quando frustratur ab efficientia, frustratur signato, quod practice debet significare; et tamen videmus quod manent sacramenta, etiamsi frustrentur ab effectum, ergo non est de ratione sacramenti quod practice significet suum significatum.

CXXIV. Respondetur verum esse quod sacramenta illa significabant gratiam, etiam præsentem, si dabatur ex opere operantis; erant enim illa sacramenta signa practica gratiæ, quæ per Christum danda erat in genere causæ finalis, quia

finis illius erat Christus, et quæ dabatur tunc per Spiritum et fidem Christi; perficienda autem erat postea ab ipso Christo. Cum ergo essent signa practica gratiæ per Christum dandæ, non solum significabant gratiam secundum quod in futuro perficienda erat per Christum et passionem ejus; sed etiam secundum quod modo ex fide Christi mediante opere operantis ipsius suscipientis dabatur; et ita erat signum practicum præsentis gratiæ, licet non effectivum principium.

CXXV. Ad confirmationem respondetur, quod sacramenta non frustrantur suo effectum ex parte sui, sed ex parte dispositionis suscipientium; sicut enim sol de se semper lucet, ex defectu tamen alicujus impedimenti oppositi, in aliquo loco non lucet: sic sacramentum de se semper habet effectum, quantum est ex vi sua, licet ex indispositione suscipientis in ipso effectum non relinquit.

DUBIUM SEXTUM.

AN ESSE CAUSATIVUM GRATIÆ PER SE COMPETAT NOSTRIS SACRAMENTIS.

Conclusio est affirmativa.

CXXVI. In qua tamen explicanda non conveniunt auctores. Quidam enim censent convenire rationem causæ sacramentis nostris tamquam propria passio; sic magister Soto: Alii convenire, non tamquam propriam passionem, nec tamen omnino per accidens, sed per se tamquam conditio necessaria, et per se requisita in sacramentis novæ legis, supposita divina institutione; ad eum modum quo causare, seu generare scientiam convenit syllo-

gismo demonstrativo, et sicut agere per contractum convenit agenti physico. Non enim est illi ratio formalis agendi, nec accidentalis conditio, sed per se et necessario requisita. Eodem modo per se est ista: Sacramenta novæ legis causant gratiam: non quia esse novæ legis sit ratio formalis, sed quia est conditio per se requisita ut causent.

CXXVII. Alii ut magis explicent hanc sententiam, distinguunt duplicem connexionem, aliam quam habet causalitas a significatione, tamquam a conditione requisita ex institutione divina; aliam quam habet significatio istorum sacramentorum a causalitate ut a modo completivo et terminativo significationis eorum. Cum enim sacramenta nostra significant gratiam, non utcumque, sed ut dandam per eademmet sacramenta, ut per instrumenta passionis Christi, manifestum est ad veritatem significationis sacramentalis necessariam esse causalitatem sacramentorum; alias enim non verificaretur eorum significatio. Et tamen respectu primæ dependentiæ verum est, quod causalitas se habet ut conditio per se requisita ex institutione Christi, et ea supposita: respectu vero secundæ causalitas se habet ut modus completivus significationis sacramentalis, non tamen ut ratio formalis, et ideo talis dependentia et perseitas non fundatur in nuda institutione Christi, sed in ipso modo significandi, quem habent nostra sacramenta.

CXXVIII. Alii dicunt, per se convenire causalitatem nostris sacramentis ex parte materiæ, quia videlicet institutio Christi Domini voluit sacramenta nostra esse instrumenta physica gratiæ, et supposita hac institutione, per se convenit nostris sacramentis esse causas gratiæ, quia tamen esse causas et instru-

menta non convenit illis ratione significationis, sed ratione materiæ, et rei quæ assumitur ut instrumentum, quia solum assumitur pro instrumento ens reale, non vero id quod rationis est; ideo dicitur convenire hoc sacramentis nostris per se materialiter.

CXXIX. Dicimus ergo, quod dupliciter possumus loqui de sacramentis novæ legis, uno modo secundum rationem et genus signi, et talis signi, taliter quod respiciamus solum id, quod in latitudine et genere signi, in genere et specie convenit: alio secundum quod sacramentum novæ legis includit non solum institutionem in genere signi sacramentalis, sed etiam institutionem talem Christi, qua factum est sacramentum novæ legis, et subordinatur institutioni Christi, qui non solum voluit illa esse signa, sed etiam instrumenta suæ passionis, sicut conveniebat legi evangelicæ. Secundum primam considerationem, dicimus quod esse causam et habere causalitatem realem et instrumentalem, est extra genus signi, et sacramentis novæ legis solum convenit essentialiter præsuppositive, quia scilicet instituta sunt hæc sacramenta ad significandam gratiam, non utcumque, sed dandam per ipsamet sacramenta: quæ significatio vera esse non potest, nisi præsupponendo quod ipsa causant gratiam. Et hoc est quod dicit tertia sententia, quod se habet ratio causativi in sacramentis, ut modus completivus significationis sacramenti novæ legis.

CXXX. Juxta secundam autem considerationem, sacramentis novæ legis convenit per se esse instrumenta et causas gratiæ, non ex ratione ipsa sacramenti præcise, sed ut novæ legis sunt; tum, quia institutio Christi per se etiam voluit quod sacramenta instituerentur, et

essent sacra instrumenta suæ passionis, et ideo ut subordinantur huic institutioni, per se hoc convenit illis; tum, quia lex evangelica non solum includit scripturam et instructionem externam, sed etiam Spiritum internum, ratione cujus justificat, ut late docet S. Thomas 1-2, quæst. cvii, art. ii, et quæst. xxvii de veritate, art. iv: unde sacramenta, quæ sunt velut columnæ et fulcimentum religionis hujus, oportet quod non solum habeant rationem signi exterioris, sed etiam Spiritum intus operantem, qui est virtus Christi justificans, a passione ejus derivata. Et ideo sicut per se convenit illis esse signa, et externas cæremonias legis evangelicæ, sic convenit eis non solum signa esse, sed et causas justificantes, sicut evangelium.

CXXXI. Responderi secundo potest, quod esse causam gratiæ potest dupliciter sumi, uno modo pure et nude; alio modo sacramentaliter, seu causam exterius significatam, seu exteriorem et sensibilem factam per rationem signi, et consequenter subordinatam rationi signi. Dicimus ergo, quod esse causam gratiæ ut sic, et nude consideratam, non potest per se competere rationi sacramenti novæ legis, quia genus signi, quod est sacramentum, et genus causæ, non potest perseitatem aliquam dicere, si unumcumque secundum se sumatur, cum dicant diversa genera. At vero causare modo sacramentali, seu exteriùs manifestato, et significato, pertinet per se ad rationem sacramenti talis, scilicet evangelici, quia tunc jam non sumitur solum ut causa, et in solo genere causæ, sed in genere etiam signi, seu exterioris manifestantis.

CXXXII. Quare causa ut sic gratiæ, non dicit aliquid manifestum, nec aliquid manifestans, seu quod

sit ratio manifestandi ; sed potius aliquid occultum, et occulte procedens atque operans ; ideoque ad rationem sacramenti, quæ est quid exterius et sensibile manifestum, non potest per se pertinere. Causa autem sacramentaliter se habens, et exterius manifesta et facta sensibilis mediante signo, non est extrarationem signi sacramentalis, seu sacramenti, et per se conjungitur cum illo, non perseitate physica, sed perseitate sacramentali, et ex institutione Christi dimanante.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

CXXXIII. Sed objicitur primo : Nam istæ duæ rationes, scilicet causandi et significandi, ita se habent in nostris sacramentis, quod ab invicem separari possunt : ergo per accidens conjunguntur. Consequentia patet, quia si separari possunt, adest et abest una ab alia sine subjecti corruptione, et consequenter accidentaliter se habent, et per accidens conjunguntur. Antecedens vero probatur, quia bene potest Deus facere, quod maneat sacramentum significans et non causans : potest etiam facere quod sit causans et non significans, et alias ex natura sua significatio et causalitas non postulant conjungi, et simul esse : ergo taliter conjunguntur quod ab invicem separari possunt.

CXXXIV. Nec dici potest, quod supposita institutione per se sunt conjuncta, licet si seorsum respiciantur non per se postulent conjungi. Nam duæ formæ, quæ ex se absolute sunt separabiles, etiam si ex aliqua actione aut institutione Dei simul sint in eodem subjecto, non propterea per se conjunguntur ; ut si Deus institueret quod homo albus esset simul musicus, non per

se conveniret album musico, sed per accidens.

CXXXV. Respondetur nihilominus, quod formæ, quæ ex sua propria ratione naturales sunt, quantumvis ex instituto aut extrinseca actione conjungantur, non faciunt unitatem per se, cum naturalis unitas ex naturali formarum convenientia et proportione pendeat, non ex instituto alieno. Quando autem formæ non sunt naturales, sed artificiales, et ex institutione pendentes, unitasque ex illis resultans artificialis et ex institutione est, non requiritur quod per se uniantur secundum naturam, sed per se secundum institutionem ejus, qui instituit, cum et unitas totius resultantis ex institutione pendens sit. Cætera argumenta quæ tangunt de conjunctione formæ rationis, qualis est significatio, et realis, qualis est causare, quomodo per se uniantur, supra tractata sunt, et quomodo etiam pertineant ad rationem generis et differentiæ ; supposita enim institutione non est difficile hæc conjungere, licet secundum naturam suam considerata perseitatem non habeant. Et in hac distinctione stat solutio omnium argumentorum.

CXXXVI. Solum quæres, qua perseitate conveniat sacramentis novæ legis esse causativum gratiæ, primo, an secundo modo. Respondetur distinguendum esse : nam sacramentis novæ legis ut sunt nova, et ut subordinantur institutioni Christi, qua voluit esse sua instrumenta, per se competit primo modo tamquam differentia, quia per hoc essentialiter distinguitur ratio legis novæ a veteri. Si autem considerentur eadem sacramenta novæ legis, non ut subordinantur institutioni illi, qua Christus voluit illa esse sua instrumenta, sed qua voluit præcise esse signa, sic non con-

venit eis primo modo per se, sed quasi reductive, quia competit eis tamquam modus completivus essentialiter, et quid præsuppositum essentialiter ad significationem quam illis dedit Christus Dominus, scilicet, ut significarent gratiam dandam ab ipsis sacramentis. Absolute autem et sine distinctione sacramentis novæ legis non convenit ut differentia essentialis esse causativum, quia ly sacramentum semper supponit pro sacramento, ut subordinatur præcise institutioni signi, non ut subordinatur institutioni instrumenti.

ARTICULUS II.

Utrum omne signum rei sacræ sit sacramentum ?

I. In hoc articulo pergit D. Thomas ad explicandam differentiam sacramenti in communi, sicut in præcedenti genus ejus inquiserat. Et cum determinasset quod genus sacramenti est signum, et constet omne signum essentialiter respicere rem signatam, et ab illa accipere formalem sui rationem, necessario ex parte rei significatæ investiganda erat a S. Thoma differentia essentialis sacramenti, cum signum non accipiat differentiam talis aut talis signi, nisi ex parte significati. Et quia de genere sacramenti, ut dictum est, jam egerat in præcedenti articulo, ideo in præsentem non solum differentiam quærit, sed de integra diffinitione sacramenti ; et ideo titulum proponit, an omne signum rei sacræ sacramentum sit, quasi dicat, an ex ratione signi, quam dixi esse genus, et ratione seu habitudine ad rem sacram prout sanctificat nos, ut ex genere et differentia, consurgat definitio sacramenti.

II. Conclusio est affirmativa, quam probat D. Thomas in argumento Sed contra, et explicat in corpore. In argumento Sed contra probat, quia a multis traditur hæc definitio sacramenti : Quod sit signum rei sacræ, et elicitur ex S. Augustino : omnis autem definitio convertitur cum definito, et convenit omni definito : ergo si definitum per istam definitionem est sacramentum, omne quod fuerit signum rei sacræ, est sacramentum. In corpore explicat eandem conclusionem (cum enim sit definitio, probatione non eget, sed explicatione) non ita curando de illis duabus vocibus signum, et ly rei sacræ, quia supponit ista duo competere essentialiter sacramento, prout nunc de sacramentis loquimur ; sed explicat quomodo intelligendum sit, quod sit signum rei sacræ, ut vere constituat sacramentum, scilicet, ut sit tali modo signum rei sacræ, ut significet illam quatenus sanctificat nos. Quod enim sacramentum dicat habitudinem ad rem sacram, et dixerat 1-2, quæst. ci, art. iv, et ci, art. ix, et præsupponit ex ipsa ratione sacramenti, etiam analogice sumpti, prout dixerat præcedenti articulo. Sacramentum enim est analogum quoddam, quod de principali significato dicit sacrum secretum, et occultam sanctitatem : de minus principali autem dicit signum aut causam habitudinem habentem ad rem sacram.

III. Cum ergo præcedenti articulo analogata ista distinguens S. Thomas dixerit se loqui de analogato quod est signum, plane probatum mansit, et quod esset signum, et quod esset rei sacræ, alias si rei sacræ non esset, neque analogatum esset de ly sacramentum.

IV. Restat ergo in hoc articulo explicare, ad definitionem integram et sacramenti differentiam attin-